pendentes, eius assertionibus fidem accommodare noluerunt. Erat autem eo
tempore Campaniae in Castro S. Silvestri uxor cuiusdam Thebaldi illustrissi-
mi militis, nobilissima foemina, Theatonira genere, quae religionis intuitu
nimio flagrabat desiderio, ut sanctorum reliquias in terra sua posset habere.
Et dum sedulo cogitaret, qualiter suum impleret desiderium, tandem sa-
pienti usa consilio, Romam de suis fidelibus misit, qui ad hoc maxime
operam darent, ut alicuius sancti reliquias, dato pretio ad eam deferrent.
Venientes itaque Romam et Dominae suae mandata diligenter et caute
exequentes praefatos fossores obvios habuerunt. Cumque ab eis requisiti
causam itineris manifestassent, fossores dixerunt: Si sic est, ut dicitis, ecce
quod quaerebatis, invenistis et addant. Nos habemus corpus S. Marci Papae
quod si iustum pretium nobis recompensare velitis, sine dubio vobis
tradimus. Sed quid multis immorari debeamus? Data pecunia pretio-
sissimum corpus ad Dominam suam in Campaniam detulerunt. Quod illa
hilarissimo gaudio cum maxima devotione suscepit, referens gratias Deo,
qui non derelinquit sperantes in se et suorum fidelium petitiones dignanter
exaudit, atque illico praecepit, non longe a Castro S. Silvestri ad honorem
S. Marci ecclesiam fabricari, qua expleta, accitoque Episcopo, in cuius parrochia
erat in eadem ecclesia cum maxima gloria sacratissimum corpus pulcherri-
mo recondidit tumulo. Jetzt [illegible] die Canoniker von S. Marco [illegible]
an sich gebracht zu haben, sie [illegible] aber doch [illegible], [illegible]
sie an sich zu bringen, aber alles ist vergeblich. Temporibus itaque sanctae rec.
Papae Paschalis filii illius mulieris, cuius supra memoriam fecimus, quae
sacrum corpus comparaverat, matre eorum iamdudum mortua, adversus
D. Papam arma sumpserunt. Unde saepe commoniti, cum a stultitia sua
nullatenus cessare voluissent, indignatus D. Papa ad comprimendam et
edomandam eorum superbiam et de urbe et de tota Campania contra eos
exercitum conduxit et Castrum S. Silvestri, Deo iuvante, cepit atque destruxit.
Fuerunt autem in illo exercitu quidam ex parochianis S. Marci, licet pauci,
qui sanctum corpus eius exinde tollere et ad propriam ecclesiam reducere
conati sunt. Sed a multitudine prohibiti, quod proposuerant, minime
adimplere potuerunt. Quo comperto clerici et laici, qui Julianum castrum
inhabitabant, multum metuentes, ne simili occasione Romani ad eandem
partem iterum euntes sanctum corpus tollerent, seumque deferrent ad iam
dictam ecclesiam, quae tum morte suae aedificatricis, tum destructione castri,
quasi derelicta erat, convenerunt, et inde ad Julianum castrum mirificum